



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Svpplementvm Tertiæ Partis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

Vtrum oporteat materiam huius sacramenti esse consecratam per
episcopum? 6

urn:nbn:de:hbz:466:1-38817

Vtrum oporteat materiam huius sacramenti esse consecratam per Episcopum ?

116

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod non oporteat materiam huius sacramenti esse consecratam per Episcopum. Quia dignior est consecratio materię in sacramento Eucharistię, quã in hoc sacramento. Sed in Eucharistia materiam sacerdos potest consecrare. Ergo & in hoc sacramento.

Al. operationibus.

**tex. 25.*

**infra q. 31. art. 3*

¶ 2 Præterea, In operibus * corporalibus ars dignior numquam præparat materiam inferiori: quia dignior est ars quæ utitur, ea quæ præparat, ut dicitur in 2. Physic.* Sed Episcopus est supra sacerdotem. Ergo non præparat materiam in illo sacramento quo sacerdos utitur. Sed sacerdos dispensat hoc sacramentum, ut dicitur *. Ergo consecratio materię ad Episcopum non pertinet.

SE D contra est, quia etiam in alijs vnctionibus materia per Episcopum consecratur. Ergo ita debet esse in ista.

RESPONDEO dicendum, quod minister sacramenti non inducit effectum sacramenti propria virtute, ut principale agens, sed per efficaciam sacramenti, quod dispensat: quæ quidem efficacia primo est à Christo, & ab ipso in alios descendit ordinate, scilicet in populum, mediante ministris, qui sacramenta dispensant; & in ministros inferiores mediante superioribus, qui materiam sanctificant. Et idem in omnibus sacramentis, quæ indigent materia sanctificata, prius sanctificatio materię fit per Episcopum, & usus quandoque per sacerdotem: ut ostendatur sacerdotalis potestas ab Episcopali derivata, secundum illud Psalmi 132. Sicut unguentum in capite, scilicet in Christo, quod prius descendit in barbam Aaron, deinde usque ad ornametum vestimenti.

Aug. super eum loc. i. sal.

Ad primum ergo dicendum, quod sacramentum Eucharistię consistit in ipsa materię sanctificatione, non

nō autem in usu: & ideō proprie loquendo, illud quod est materia sacramenti, non est quid consecratum: unde nō præxigitur aliqua sanctificatio circa materiam per episcopum facta, sed exigitur sanctificatio altaris, & huiusmodi; & etiam ipsius sacerdotis, quæ non nisi per Episcopum fieri potest. Unde in illo etiã sacramento ostenditur potestas sacerdotalis ab Episcopo deriuata, vt Dionys. dicit †. Ideo autem illam consecrationem materiæ potest facere sacerdos, quæ est in se sacramentum, & non illam, quæ vt sacramentale quoddam ordinatur ad sacramentum, quod consistit in usu fidelium: quia quantum ad corpus Christi verum, nullus ordo est supra sacerdotium; sed quantum ad corpus Christi mysticum, Episcopalis ordo est supra sacerdotalem, vt infra dicitur †.

ex cap. 3. eccl. hier.

q. 40. r. 4

Ad secundum dicendum, quod materia sacramenti non est talis materia, vt in qua fiat aliquid per eum qui ea vritur, sicut est in artibus mechanicis; sed vt eius virtute aliquid fiat: & sic participat aliquid de ratione causæ agentis, in quantum est instrumentum quoddam diuinæ operationis. Et ideō oportet quod à superiori arte, vel potestate talis virtus materiæ acquiratur. Quia in causis agentibus quanto aliquid agens est prius, tanto est perfectius: in causis autem pure materialibus quanto materia est prior, tanto imperfectior.

ARTIC. VII.

Virum hoc sacramentum habeat aliquam formam?
Ad septimum sic proceditur. Videtur, quod hoc sacramentum non habeat aliquam formam. Cum enim efficacia sacramentorum sit ab institutione, & item à forma, oportet quod forma tradatur ab ipso, qui sacramentum instituit. Sed forma huius sacramenti, non inuenitur tradita neque à Christo, neque ab Apostolis. Ergo hoc sacramentum non habet aliquam formam.

117
Tho. ubi sup. ar. 4. q. 1. c. seqq.

¶ Præterea, Ea quæ sunt de necessitate sacramenti, observantur eodem modo apud omnes. Sed nihil magis